

Supple-
ment. ad
Græv. &
Gronov.
a pagin.
373.

Cabiris, negans eos fuisse filios *Vulcani e Cabera*: sed verosimillime credit existisse *Telchines*, i. e. Sculptores, & Statuarios Rhodios. Id quod hoc loco prolixius non exequor.

DIALOGUS XXVI.

De multiplici Veterum Genio in Numis.

PUBLIUS.

SÆpe hæcenus in expositione diversorum Numerum ajebas mihi, hoc illudve Caput Genium Urbis referre: gaudeo proinde, nunc de *Genio* peculiarem sermonem enasci.

TULL. Nomen *Geni* late sumtum, quemlibet Custodem, ac Tutelarem, singularum Familiarum, Domuum, Urbium, Populorum, Collegiorum, & Communitatum designabat, sæpe cum *Laribus*, & *Penatibus* permixtum. Proprie vero denotabat cuiuslibet hominis peculiarem quemdam spiritum, eidem ab ortu suo adjunctum, immo, quod somniabant nonnulli, Animi cuiuslibet proprii genitorem. Sic *Aufidius* apud *Festum* ajebat: „

„ *Genius* est Deorum Filius, & Parens hominum, ex quo homines „ gignuntur: & propterea *Genius* meus nominatur, *qui me genuit*..

De Civitat. Dei L. VII. 13.

Item S. *Augustinus*: „ Quid est *Genius*? Deus est, qui præpositus „ est, ac vim habet rerum gignendarum. „ Qua quidem ratione *Genius* non solos homines, verum etiam res omnes gignere creditus fuisset.

II.

Plures autem Philosophorum Græcorum, ut *Euclides*, *Empedocles*, ac alii, geminos cuiuslibet hominum *Genios* dederunt, *Bonum* unum, alterumque *Malum*: quos ipsi utrosque appellabant *Dæmones*, Græcis istis consensere pariter Latini multi, h. e. Romani.

Quo-

Quocirca *Servius*: „ Cum nascimur, duos *Genios* fortimur: Unus Ad Aeneid. Librum VI. est, qui hortatur *ad bona*, alter, qui depravat *ad mala*. Nec „ incongrue dicuntur *Genii*: quia, cum unusquisque genitus fuerit, ei statim *Observatores* deputantur. Quibus assistentibus „ post mortem, aut afferimur in meliorem vitam, aut condemnamur in deteriorem. „

PUBL. Quis non videat, opinionem *Veterum* de *Genio* radium fuisse primi luminis illius coelestis de Angelica Custodia, cui libet nostrum ab utero *Matris*, per *Dei* clementiam, adversus verorum demonum odium, & insidias provisa. Sed radium, idololatriæ tenebris infectum undique, & obfuscatum. Deus nempe fiebat, qui *Dei* fuit minister. *TULL.* Haud imprudenter arguis. Plura vero de *Genio* somnia veterum supersunt. III.

Platonici per eundem nihil aliud, nisi *Mentis vim* inditam, animique promptitudinem, quæ singulis inest, intellexerunt. Unde, qui sapientiæ studiis, prudentibus rerum humanarum curis, & exercitationi *Virtutum* se constanter tradiderunt, *Genium* suum Sam. Pitisc. in Lex. Voce Genius. videre dicebantur. Contra vero, qui ex defectu corporalium organorum, aut ob segnitiam animi, vel studium voluptatum, sapientiam, ac honestatem vitæ neglexerunt, contemti sunt, tanquam qui *Genium non viderent*. Creditum quippe fuit, proprium *Genium*, cum quolibet, boni rectique sectatore, familiariter haud secus, atque amicam cum amico, conversari, eique assidue præcepta *Sapientiæ* dictare. Id quod rursus de *Angelo* nostro *Tutelari* rectissime senseris. IV.

Ecce vero novam, ac aliam longe de *Genio* phantasiam *Apuleji*, sic fabulati: „ *Genius* est *Animus* humanus exutus & liber, stipendiis vitæ corpore suo abjuratis. Hunc veteres latina lingua reperio *Lemurem* dictitatum. Ex hisce ergo *Lemuribus*, qui „ posteriorum suorum curam sortitus, pacato, & quieto *Numine* domum possidet, *Lar* dicitur familiaris. Qui vero propter *Adversâ* vitæ merita nullis potitus sedibus, incerta vagatione, ceu „ quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, cæterum noxium malis, hunc plerique *Larvam* perhibent. Cum vero incertum est, quæ cuique eorum sortitio evenit V.
De Deo Socratis.

„ rit , utrum *Lar* sit , an *Larva* , nomine *Manium* Deum nuncu
 „ pant. Honoris gratia Dei vocabulum additum est. „

VI. *PUBL.* Plurimum quidem distare apparent *Apulejus* ac *Plato* ,
 ipsa tamen re convenire videntur. Nam uterque per *Genium* in-
 telligit Animum , ac spiritum hominis : *Plato* autem eundem de-
 scribit , ut se habeat , dum corpus inhabitat : *Apulejus* ejusdem cor-
 pore soluti statum exponere voluit. Fluctuant ambo , cumque
 his ceteri omnes , anchora fidei , Divinæque revelationis destitu-
 ti. *TULL.* Adhuc monendus es , etiam sexus hominum ratio-
 nem habitam esse , Virosque Natalem Deum suum appellasse *Ge-
 nium* , Fœminas contra , eum dixisse *Junonem*. Unde , quod jam
 alias audisti , sic jocatus est *Plinius* : „ Major Cœlitum populus ,
 „ etiam quam hominum , intelligi potest , cum singuli quoque ex
 „ semetipsis totidem deos faciant , *Junones* , *Geniosque* adoptando
 „ sibi.

Libr. II.
 Cap. VII.

VII.

Trist.
 Libr. III.
 Eleg.
 XIII. v.
 II.

Colebatur *Genius* cum primis Natali die : cujus & hodie an-
 niversaria memoria inter omnes Gentes frequentatur. Ac primum
 quidem sumebatur *Alba Vestis* , quemadmodum *Ovidius* ad *Genium*
 suum :

Scilicet exspectas solitum tibi moris honorem ,
 Pendeat ex humeris *Vestis* ut *alba* meis.

Tum ara graminea ponebatur , corona , & floribus cincta : cui
 pauperes molam salsam , far scilicet quasi tostum , sale mixtum ,
 divites thus injiciebant , oleo , vinoque affuso. Immolatio peco-
 ris initio nulla fiebat , causam reddente *Censorino* ex *Varrone* : Sci-
 licet , *Ne illa die , qua ipsi lucem accepissent , aliis eam demerent*. Per-
 durabat , atque tenebat hæc ratio , non plane insipiens , quam-
 diu religio *Genii* , nempe grata piaque recordatio acceptæ vitæ ,
 perstiterat.

De Die
 Natal.
 Cap. II.

VIII.

Postquam autem Voluptas religionem ad Geniales epulas
 detorsit , venterque in *Genium* transire coepit : immolabantur
 Agni , licet rarius , communius tamen porci adultiores , quod in-
 de

de commodum foret , promptumque , ex partibus Hostiæ Convivium geniale instruere : Uti de porco *Plautus* :

Pseud. I
2,32.

Pernam , callum , glandium , fumem facito , in
aqua ut jaceant :

Magnifice enim volo summos Viros accipere :

Geniales nimirum convivas. Ubi tamen Lardi oblivisci non debuerat , juxta quod *Juvenalis* cecinerat :

Satyr. XI
84.

Moris erat quondam , festis servare diebus ,
Et natalitium cognatis ponere *Lardum*.

Sic porro ventri ac gulæ servientes , nihilominus ajebant , *Genio* se indulgere : & e converso , quando Natale convivium luctus , aut inopiæ causa , omittere cogerentur , conquesti sunt , *Genio* se defraudari. De Votis porro , Strenisque Natalibus , ut hic differam , ad Numos non attinet. Colebantur quidem Natales non singuli tantum a singulis privato festo , sed etiam Natales Principum publico ritu : apud quos tamen distingui solebat *Natalis Lucis* , quo nati erant , & *Natalis Purpureæ* , quo ad Solium , ac Majestatem ascenderunt. Hoc autem Partis V. tæ. magis proprium erit argumentum. Aeti sunt pariter Urbium Natales per Seculares , & Millenarios Ludos , *Genio* undique in Vota implorato : per quem & jurare consueverant.

PUBL. Plures ego teneo Numos , nempe *Diocletiani* , & *Maximiani* Herculei Augustorum , item *Galerii Valerii Maximiani* , tam ut *Caesaris* , quam ut *Augusti* , præterea quoque *Constantii Chlorig* : in quibus omnibus *Genius* nudus adstat , cum palla tenuissima , & calathò , vel potius modio parvo in capite , patera in dextra , cornucopiæ in sinistra , ac epigraphe , sive : GENIO POPULI ROMANI : sive : GENIO AUGUSTI. Calathum , aut modiolum frumentarium , item Cornucopiæ frugiferum , interpretor ut symbola Vitæ , quam *Genius* gignendo contulisse credebatur : Pa-

IX.

tera Divinitatis est nota. An porro, ubi scribitur: GENO POPULI ROMANI: vel proprium *Genium* celebrare Populus voluerit, an Caesarem, vel Augustum, tanquam *Genium*, Custodem ac Tutelarem suum, hoc pacto predicaverit, ambigo. TULL. Ita sentire licet. Cum enim Quirites, vel adulatione, vel metu, etiam pessimos Imperatores aliorum, & majorum Deorum, uti & Augustas Dearum imagine, ac nomine extulerint, cur non & Genii?

X.

PUBL. Est mihi unicus *Maximini* Augusti Numulus, in Aversa æque cum *Genio*, sed qui, pateræ loco, Tropheum gestat, ad pedes excrecente palma, cum lemmate: GENIO AUGUSTI. Hic Victoriæ gratulari videtur. TULL. Multoties apud *Argelatum* in *Maximini* hujus *Daze* Numis laudatur *Genius* adstans: nullibi vero cum Signo, & palma. PUBL. Teneo præterea Numum argenteum *Trajanæ Decii*: in cujus Aversa post *Genium*, cum patera, modio, & cornucopiæ adstantem, erectum est militare Signum, immo Aquila legionaris, & adscribitur: GENIUS EXERCITUS ILLYRICIANI. Dabatur ergo & Exercituum *Genius*, TULL. Quando Nomen hoc latiori sensu pro Custode, ac Tutore, non ipso Genitali Deo sumitur, omnium Societatum, ut jam initio dixeram, *Genius* agnitus est. Sed procul dubio ipse *Trajanus Decius* ab Exercitu suo Illyriciano, per quem contra *Philippum* Arabem acclamatus est Imperator, hoc loco salutatus est *Genius*, tam commode imperans, modo Christianorum persecutor tam immanis non exstitisset, ut, quemadmodum *Trajanus* primus, elogium *Optimi* promeruerit. Cæterum hunc Numum tuum, sed maxima forma, ex *Angelono* edidit *Montfoconius*: ubi tamen galeatus *Genius* pingitur.

Tom. I.

P. II.

Tab. CC.

n. 7.

XI.

TAB. V.

N. XIII.

Appen-

dic. Co-

lon. Rom

T. I. n. 3.

PUBL. Numus Tabulæ tuæ V. tæ. Decimus tertius, huc a continentium primus, adhuc ex meis est, æreus parvus *Neronis* perelegans, & integer. In Aversa stat *Genius* nudus, capite modiolum gestans, lævo brachio cornucopiæ deferens, dextra pateram tenens, qua libat ad aram ardentem. Pone: S. C. Circum: GENIO AUGUSTI. Parem fere teneo Numum *Commodi*, sed æris medii. TULL. Cl. *Fralichius* exhibuit alium æreum, parvumque *Neronis* Numum, cujus Aversam tibi proxime pinxi. PUBL.

BL.

BL. Video in eo stantem fœminam turritam, quæ cornucopiæ gestat, dextra vacua extenta. Pone scribitur: GEN. io COL. onie. Infra sequitur: COR. intbi. Circum lego: M. arco, nisi M. anio AC. ilio CANDIDO II. VIR. o. TULL. Bene singula. Sæpius tibi commemoravi Capita fœminea turrita, Genios Urbium designantia: quoniam *Festo* referente, nullus Locus absque Genio est.

PUBL. Numus tuus XV. tus. in Aversa Genium habitu juvenis togati exhibet, cum hasta stantem, spicasque præferentem. Pone S. C. Circum: GENIO SENATUS. Jam pinxeras mihi in Exercit. Procœm. Tab. VI. n. 8. in Hieropolitanorum Numo Græco Genium Sacri Senatus capite juveni nudo expressum: item n. 10. in Numo Philadelphensium, Genium Populi, depictum capite fœmineo, passis crinibus, fascia tamen cincto: ac iterum in Attaitarum Numo Capite virili laureato exhibitum. Unde liquet, Genium omni forma exprimi consuevisse. TULL. Ita est. Præfens Numus æreus medius est Antonini Pii apud Patinum p. 169. Qui observat in aliis hujus Imperatoris Numis ea frequenter signata fuisse, quæ ad Romæ primordia spectant, ut Rheæ Sylvie ex Marte fœcunditatem, Lupam cum Gemellis, Ancilia pignus Romanæ felicitatis, Tiberim quiete confidentem: quibus omnibus innui videatur, Antonini Pietate, ac Virtutibus, Romæ felicitatem ex integro renovari. Quapropter & hoc pariter in Numo Senatus hunc Augustum, insignibus ejusdem favoribus devinctus, sub Genii sui forma expressisse, omnino sit existimandus.

Apud D. Liebe p. 453. exhibetur Numus æreus medius Maximini Daze, crudelis Imperatoris: in cujus Aversa stat Genius nudus, cum patera, & Cornucopiæ, ac lemmate turpiter adulante: BONO GENIO PII IMPERATORIS. Quo si Maximinum ipsum prædicari credamus, metu tyrannidis, infamique asfentatione id factum. Si de ipsius Genio id accipiatur, firmatur hoc Numo Veterum opinio, qui cuilibet Genium Bonum, ac malum statuerunt. Celeberr. Montfalconius notavit, veteres Lapidés sæpè habere: GENIO SANCTO: GENIO MAGNO: GENIO GUBERNATORI: GENIO PATRONO. Præterea Genium etiam Serpentum imagine fictum esse, ut in elegantissimo,

IB.
XIV.XII.
TAB.V.
N.XV.

XIII.

Tom. I.
P. II. P.
318.

Ibid. Tab. CCL. quod exhibet, Marmore Romano, pluribus figuris ornato, quas inter Serpens grandis, ac tortuosus, in tripode se gyrans, proxime appposito cornucopiæ, cum subscriptione: D. is M. anibus. GENIO AUGG. LAR. SAL. FORTUNATUS AUG. LIB. Non pro Diis habebantur Serpentes, attamen cen Vitæ, cujus origo Genius esset, pervagato Symbolo adhibiti sunt. Quocirca etiam *Virgilius*, eleganter descripto Serpente, qui visus erat Aeneæ, de hoc cecinit:

Aeneid. L. V. v. 25.

Incertus, *Geniumve* Loci, famulumve Parentis
Esse putet.

DIALOGUS XXVII.

De Plutone, atque Inferis Diis.

PUBLIUS.

I. TAB. V. N. XVI. **N**UMUS tuus Decimus sextus *Plutonis* me commonet, quoniam Vir seminudus in eo confidens, modiumque in capite gestans, & hastam sinistra sustinens, dextra pateram tenens, ante se tricipitem bestiam, quasi Cerberum habet. Epigraphæ Græcæ est: ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ; h. e. *Hadrianopolitarum*. TULL. Cl. *Frælicius* hunc *Gordiani Pii* Numum vulgans, æque Plutonem, ac Cerberum, hic agnoscit: quamvis, juxta ipsum, Cl. *Harduinus* in alio simili *Trallianorum* Numo potius Jovem *Κυνέτης*, sive *Venatorem*, cui tres canes abblandiantur, intelligi voluerit. Hic namque ait, capita tria uno collo excrescunt: quod monstri fabularii certissimum signum est. Alioquin tetrum, funestumque hoc Numen rariùs in Numis, frequen-
tius

Appendic. Urb. Græcar. n. 230.